



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

Item de eo quod ait: Ille sp[irit]us me clarificabit, q[ui]a de meo accipiet &
annunciabit uobis: & de illo uersu psalmi quarti: Signatum est super nos
lumen uultus tui domine, dedisti lætitiā in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

LXXII. RVPER. ABBA. DE GLORIFI. TRINI.

donec ponā inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Hoc (ut supra iam dictum est) ualde delectat, quod cum dicere uolumus, quia pater multa in isto habet quæ filij sunt sicut & cætera omnia, omnes enim scripturæ in filium tendunt, prima quæ spūs sanctus protulit per os Petri apostoli ipso die quo datus est, perpendimus, quia de isto accepit, in quo deus pater testimonia fidelia quæ plurima filio suo thesaurizauit.

¶ Item de eo quod ait, ille spiritus me clarificabit quia de meo accipiet & annuntiabit uobis: & de illo uersu psalmi quarti, Signatum est super nos lumen uultus tui domine, dedisti letitiam in corde meo. Cap. IX.



Ic in psalmo quarto dicit, Signatum est super nos lumen uultus tui domine, dedisti letitiam in corde meo. Qui uidelicet psalmus quartus hunc habens titulum, in finem psalmus canticum Dauid, si rite cōsideres, in illum diem spectat quo spūs sanctus (ut supra dictum est) procedens à throno siue maiestate patris & filij, discipulos Christi ita lætificauit, ut multo uiderentur pleni, loquentes linguis, & silere non ualentes præ gaudio, quod nemo ex tunc tollere potuit ab eis. ¶ Ad hoc perspicere iuuat sensum ordinemque psalmoz præcedentium psalmi primi, secūdi & tertij, simul & istius scilicet quarti: Quia uidelicet quatuor sacramenta nostræ salutis (quorum in fide uita nostra consistit) prædicant auri audienti, scilicet incarnationē, passionem, resurrectionē, atque ascensionē Iesu Christi filij dei, simulque lætitiā qua spūs sanctus (ut iam dictum est) in die Pentecostes discipulos eiusdem domini lætificauit. ¶ Hæc enim, o fili, de tuo spiritus sanctus accepit, & annuntiāuit nobis, ut possimus iam in ista fronte siue uestibulo gazophylaciij patris tui demonstrare quatuor insignia hæc tuæ nobilitatis, uidelicet, quod homo absque peccato natus, & cum hominibus cōuersatus fueris, & quod quasi peccator mortē sis passus propter obedientiam paternæ dilectionis, & quod à somno mortis exurrexeris per uirtutem diuinitatis, & quod in cœlum ascenderis, rediturus in die iudicij, & percussurus impios, quia sine causa aduersati sunt tibi. Proinde supra scriptum quarti psalmi uersiculum, Signatum est super nos lumen uultus tui domine, dedisti letitiam in corde meo, paululum differentes, à primo incipiemus hæc demonstrare breuiter, ut perspecta fronte siue uestibulo sanctuarij, quod intus amplissimum est: dicat, quicumque rudis, & similis nostri spectator adest. O quanta pater hic habet, & quanta spiritus ueritatis hinc accipere potest, ut annunciet nobis de his, quæ filio suo thesaurizauit pater: quoniam iam in ingressu tam fulgidus, tamque ordinatus prospectus sacramentorum, in quibus uitam habemus, ornatus est.

¶ Quod per intellectum psalmi primi, hoc de Christo nobis annunciet spūs ueritatis, quia & in hunc mundum sine peccato uenit originali, & in hoc mundo sine peccato uixit actuali. Cap. X.



Primus psalmus, prima uox Psalterij dicit, Beatus uir, qui non abiit in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentie non sedit. Quis præter unum talis aut tantus uir? Et quidem, si de peccatis actualibus agitur, ut de sanctis interim taceam maximis atque nouissimis, quis dinumerare possit multitudinem paruulorum innocentium, qui non abierunt in consilio impiorum, & in uia peccatorum non steterunt, & in cathedra pestilentie non sederunt. Sed si originale recogites peccatum, nullus omnino est præter hunc unum, nam in Adam (ait apostolus) omnes peccauerunt. Hic ergo est ille uir uere beatus, cuius conceptio & natiuitas extitit secundum operationem spiritus sancti, quod pulchre insinuatur per hoc dictum. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. ¶ Pluraliter namque decursus aquarum diuisiones intelligimus gratiarum spiritualium, quæ omnes simul in istum deificum hominem, siue beatum uirum, ab ipso conceptionis initio diffusæ sunt. At in alios homines, qui cumque illo digni sunt, nequaquam sic uel tanta plenitudine, sed longe & incomparabiliter minus donis diuisiuis datæ siue distributæ sunt. Verum nos hac uice pedem retrahamus mentis de istarum profundo aquarum. Proposuius enim demonstrare breuiter in hoc psalmo sacrosanctam domini & dei nostri Iesu Christi humanitatem, quod absque peccato fuerit tam originali quam actuali, & hoc perficere nunc sufficit ternis oppositionibus istis. ¶ Non abiit in consilio impiorum, sed in lege domini uoluntas eius. In uia peccatorum non stetit, sed in

Quatuor primi psalmi, secundum quatuor sacramenta salutis.

Beatus uir qui non abiit &c. hic est Christus solus.

Roma. 7. Luca. 7. Psalm. 7.

Decursus aquarum, diuisiones sunt gratiarum.